

ac ordine disponantur. Atqui penitus ista exquirere, quia per varia prophanorum scripta disperguntur, atque ea mente ab eis explanantur ut ad temporale commodum proficiant, per otium nobis non conceditur. Sed & pontificijs decretis plus nimio eisdem incumbere vetamur, cogimur quoque præscriptis diuinis sacras euoluere literas. Scrutamini scripturas, inquit ipse sacrosanctorum oraculorum conditor, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, &c. Quòd verò Ioannis *Ἀποκάλυψις* locum tibi potissimum delegeris, ibique traditum ordinem tenueris, ac deinceps cæterarum Gemmarum quæ celebriores habentur, non omiseris elucidationem, maximè probo. Certissimum enim ac solidissimum locum qui in diuinis literis habetur, & qui tuo congrueret instituto selegisti, utpote cuius interpres & autor idem esset de quo ambigere nepharium sit. Illa autem nomē-

†λ